



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De Petro à Christo vicario constituto

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

De Petro à Christo Vicario consti-
tuto. ibidem.

I. **C**Vm prandissent, dicit Simoni Petro Iesu: Simon Ioannis diligis me plus hu? priusquam Petrum sibi Vicarium substituat, ter eum interrogat: Amas me? idque 1. Ut trino illo actu humilitatis & charitatis humiliter & cautè respondendo: Domine tu scis, quia amo te, expiatet maculam ternæ præsumptuosæ negationis. 2. Ut ostenderet eum, cui aliorum salus procuranda cōmittitur, debere excellere charitate er- ga Deum, proximum, & seipsum; & bene fundatum esse in mentis purita- te, virtutum soliditate, & voluntatis propriæ cum diuina conformitate. 3. Ut continuum proficiendi in haec tri- plici charitate ac perfectione studium eidem, omnibusque in proximorum salutem incumbentibus inculcaret.

Deinde illi vniuersalem curam Ec- clesiæ suæ demandat dicens: Pasc agnes meos, pasc agnos meos, communes nimirum fideles; pasc oues meas, ipsos etiam reliquos pastores tanquam ma- tres agnotum seu fidelium subiecto- rum. Ter porrò illi ait: Pasc. quia vult eos pasci oratione, doctrina, exé- plo:

plo: seu iuuari pia Sacramentorum administratio, beneficiorum tum spiritualium tum corporalium collatione, & paterna cōtumacium correptione: seu dirigi, excitari, propelli in viâ triplici perfectionis decurrentia.

Quanto ergo feruore & constantia in aliud propriæ alienæque perfectionis studium meritò esset incumbendum illi, quem Christus tam speciali gratia Apostolicę vocationis sublimare, atque in cooperatorem suum in lucrandis animabus, tanto pretio à se redemptis, assumere dignatur, præsertim cum id vnicè in compensationē tantæ suæ liberalitatis exoptet, copiosamque gratiam offerat? Amor, gratitudo, zelus propriæ, alienæque perfectionis promouendæ.

II. Posthæ., Petro martyrium Crucis prædictum, tanquam certum signum amoris, quem professus fuerat. Bonus enim pastor animam suam dat pro omnibus suis. Amen, amen dico tibi, cum essem in nior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas. & alius circumget te; & ducet, quod non vnu ubi insinuatur duplex mortificatio zelatori propriæ, alienæq; perfectionis pernecessaria, quarum altera

X spon-

spontè assumpta constanter vrgenda
est , maximè incipientibus , nempe
tām exterior carnis & sensuum , quam
interior mentis , prauorum habituum ,
& passionum refrenatio : altera aliun-
de illata alacriter & gaudenter acce-
ptanda est , maximè à perfectioribus ,
vnde cunque proueniat .

Quām pretiosa vtraque hæc mortifi-
catione pura cum intentione , magno
cum feroore , inuictaq; constantia fre-
quentata ! quam efficax medium ad
excelsum sanctitatis , gratiæ , gloriæq;
gradum , nonnunquam etiam martyrij
brauium promerendum ! Amor cru-
cis , & mortificationis .

III. Et cum hoc dixisset dicit Petro : Se-
quere me hoc dicto videtur Christus
progredi cœpisse , sicque actu ipso ex-
primere voluisse hanc peculiarem Pe-
tri sequelam non solum in officio Pa-
storis , sed etiam in simili morte Cri-
cis . Sequentem Petrum cœpit sequi
Ioannes a Christo separari nolens , quē
conuersus Petrus , ut sequentem vidiit ,
sollicitus pro Ioanne ex zelo amicitiæ
dicit Iesu : Domine , hic autem quid ? cu-
piens scire , an simili mortis genere es-
set clarificaturus Deum . At redarguit
Christus eius curiosum desiderium :

Si

Sic eum volo manere, donec veniam, quid
ad te? tu me sequere. Ut illum, nosque
omnes in ipso instruat, 1. Cauen-
dum esse ne curiosè temereque ijs re-
bus, quæ ad nos non spectant, nos
immisceamus intuitu humanæ fami-
liaritatis, cum iactura spiritus & tem-
poris. 2. In similibus casib⁹ diuinæ
prouidentiæ, cui est cura de omni-
bus, esse committendum, quicquid
illi circa nos aliosque nobis, quo quis
modo, coniunctos, ordinariè pla-
cerit. 3. Reiectis curis ab instituto
nostro alienis, ijs, quæ nos concer-
nunt; esse seriò intendendum, vni-
ceque id curandum, ut Christum se-
quamur, eiusque gratiæ cooperemur
in eo vitæ & offici⁹ genete, ad quod
nos elegit & vocavit. Amor Crucis,
fuga curiositatis, resignatio, zelus per-
fectè agendi, quod agis.

De apparitione facta in monte Ga- VI.
lileæ. Matthi. 8.

I. A postoli iussu Domini migrantes
in Galileam, renunciant alijs
discipulis istic dispersis gloriosam eius
anastasin, & futuram apparitionem,
atque ita congregati plusquam quin-

X 6

genii